

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXLV.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

A. 1568.

PARS TERTIA.

271

& Dominos Senatorii ordinis, imprimis Dominum à Mülheim, similiter quoque Rectorem & Professores, reverenter salutabis. Iterum in Domino JESU vale. Uxorem Tuam honestissimam uxor mea cum familia cordialiter refalutare jussit.

Tuus ex animo, ut semper, frater

Jacobus Andreæ.



CXLV.

Reverende & Clarissime Domine Superintendens,
Præceptor & Patrone colende.

IN hoc exilio, quod fato quodam mihi in litore maris Baltici, ut Ovidio olim ad Pontum Euxinum peragendum est, ad ceteras molestias, hæc quoque accidit, quod rarius facultas tecum per literas colloquendi datur: præsertim cum præsentis dogmatum controversiæ multiplices & obscuræ, assiduam collationem cum piis eruditis & candidis viris, qualem te esse unum ex paucissimis scio, requirant. Gratias autem tibi publico nomine immortales debere fateor, quod amplissimæ doctrinæ de unione personali duarum naturarum & Majestatis Hominis Christi, multis difficillimarum quæstionum labyrinthis intricatæ explanationem adeo piam, perspicuam, copiosam, & testimoniis Ecclesiæ ex omni antiquitate repetitis confirmatum edidisti. De qua judicium præcipuorum in his Ecclesiis, quæ depositum doctrinæ à Lutherò acceptæ fideliter custodiunt, docentium, ex adjunctis literis cognosces. Inquisivi & ipse mediocri studio superioribus annis, Testimonia scripturæ, & veteris Ecclesiæ consensum, de præsentia Christi in Ecclesiâ, & sacra cœna, & diversis generibus ac modis κοινωνίας ἰδιωματων, & ceteris materiis, quæ in hac quæstione miscentur, ut meam mentem ambigentem firmis testimoniis confirmarem. Ac Cyrilli imprimis dicta, cum nostrâ confessione congruentia, multa & valde illustria me delectabant. Postea Theodoretum Refutationes anathematismorum, & dialogos legens, & Augustini ac aliorum sententias dissimiles considerans, comperi de tota hac controversia verum esse, quod de generali παντεχοριου corporis Christi, quidam nobis ὁμολογοῦσιν inquit: Antiquitatis Testimonia non satis de ea consentire. Imo plurima Parrum dicta speciose ad ἁερογραφου corporis Christi unico tantum loco comprehensi, & Symbolicam seu Typicam illius in cœna præsentiam, & spiritualem solummodo κοινωνίαν accommodari: sicut & Hilarianum illud, locis communibus insertum: Hæc sumpta & hausta efficiunt, ut Christus in nobis sit, & nos in ipso: tantum ad fidelium mandu-

manducationem pertinet, de qua sextum caput Johannis concionatur, & de qua sola Sacramentarii loquuntur. Sæpe igitur dolui, cum tanta contentione Lutherus initio suorum certaminum, ex solo DEI verbo, & non ex Patrum scriptis judicari de dogmatibus voluerit: postea Patrum scripta velut unicam certissimam judicii normam in controversiis *ῥητῆ ἢ διαβολῆς* toties à quibusdam præceptoribus nostris allegari & constitui. Quare gratissima mihi lectio tui libri fuit, in quo non solum fundamenta doctrinæ de unione hypostatica ex sacris literis deprompta ostendis: verum etiam, quia Petrus Martyr, & alii *ὀρθόδοξοι* vicini vestri, magnos acervos testimoniorum ex Patribus contra *πενταχυσίαν* cumularunt: per jucundum erit piis, tot illustres patrum sententias, quibus vera sententia confirmatur, à te collectas, uno intuitu complecti. Scio autem D. Brentii & cæterorum ipsius collegarum sententiam, cum tua congruere: nec procul ab ea abesse Khemnicium, Brunsvicensis Ecclesiæ Episcopum, qui erudita & nervosa & aptissimo ordine distributa explicacione, selectis certo & gravi judicio testimoniis scripturæ & totius antiquitatis, totam hanc controversiam illustravit, & *ἡ λόγος, ἰδιώματα*, partim *περιχρησῆσαι* seu immeatione (ut Damascenus nominat) qua *λόγος* totam naturam assumptam complet & per eam omnia & sine ea nihil operatur: partim donorum transfusione, communicari naturæ humanæ docet. Cum autem ante biennium sententiam nostram de Wirtebergeni confessione à principibus nostris dicere jussi essemus, consilio collegæ cujusdam, simplex explicatio & confessio doctrinæ de unione personali, communicatione Idiomatum, Ascensione in cælum, dextera DEI, & cæna Domini, potius quàm Judicium de Maulbronnensi colloquio, à nobis scripto comprehensa est. Itaque recens vicinarum quoque Ecclesiarum, quas cum tua confessione plane congruere scio, sententias sciscitatus sum, ut plurimum *ὁμοψήφων* suffragia plana & perspicua conjungerentur. Ea occasione literæ, quas his inclusi, ad me missæ sunt, quibus ideo hæctenus non respondi, quod Martinus Khemnitiuss se ad gradum Doctoris Theologiæ, circa Calendas Julii suscipiendum, in hanc Academiam venturum esse scripserat. Cum quo coram de hac tota causa colloqui antea cupiebam. Hæc bono & simplici studio inquirendæ & confirmandæ & in his etiam Ecclesiis propagandæ veritatis, de gravissimo fidei nostræ articulo: qui ut totius fidei & salutis Christianæ fundamentum est: ita omnibus etiam temporibus, variis opinionum monstris à diabolo hoste DEI & salutis nostræ oppugnatus est, ad te scribo. Quæ ut benignè & candidè à me accipias, vicissim respondere mihi per hunc Tabellarium digneris, amanter peto. Adjunctas literas, & Catecheseos à me recognitæ libellum, quæso, ut Mæcenatis mei à Menzingen filio, Bernardo, apud vos in studiis viventi, jubeas exhiberi. Significes etiam, si quid de pace Gallica, quam denuò in cruentum bellum exarsisse intelligimus, aliisve rebus *ἡθρολόγοις*, novi habebis. Zanchi rixosi librum, multas controversias simul moventis, & seriem certaminum vestrorum satis odiose narrantis, magna cum molestia perlegi. Eum nunc Heidelbergæ una cum Victo-

rino & aliis docere audio. Quod si non molestum tibi aut incommodum est, amanter oro, ut vicinarum Ecclesiarum & Academiarum statum mihi exponas. Nostra Schola post tristem pestili lue & bello factam dissipationem, mediocriter refovit. Mitterem libellos recens editos, ut vestros vicissim elicerem: Collegæ mei Methodos, in quibus de Ascensione Domini etiam, & omnipræsencia Christi confessionem suam exponit: Explicationem Malachiaë Prophetæ: Epistolæ ad Romanos &c. Sed viatorem peditem onerare non licuit. Adjunxi tamen literis pagellas aliquot, quarum perillustrationem tibi non ingratoram fore spero. Bene & feliciter vale, & salutem reverenter meis verbis dicito Clarissimis viris, D. D. Ludovico Grempio, D. Johanni Flinnero, D. Valentino Erythræo, & si qui adhuc alii isthic sunt, quos inimicorum meorum acerbissimæ criminationes à me non alienarunt. Datum Calendis Junii, Anno 1568.

David Chytræus.

CXLVI

S. in Christo. Reverende vir, & in Domino

pater colende & frater charissime.

AD literas tuas medio Aprili datas, de improbitate & negligentia Pancratii, fratres mei & ego circa medium Majum unis literis respondimus: quas D. Graffecio Secretario, ut Argentinam curaret, dedimus. Is se illas jurato Ducalis Curiaë tabellario, Mompelgartum eunti, commississe affirmat; quibus adjunctæ etiam fuerint M. Balthasaris literæ ad Dominum Ilyricum. Quod autem responsum interea nullum accepimus, miramur, quæ fiat. Scripseramus, ut Pancratium confestim post acceptas nostras literas ad nos ablegares, & catalogum omnium debitorum, quæ collegio, quæ tibi, quæ mercatoribus & opificibus, ac universim omnibus creditoribus deberet, vel per ipsummet Panc. vel si ei minus fideres, per alium certum nuncium ad nos mitteres. Sed nec venit ipse, nec literæ abs te vel ipso veniunt. Et jam annus propediem circumagitur, posteaquam Argentinam venit. Itaque tempus flagitat, ut se tandem nobis sistat. Et pater ejus hæreditatem dividere decrevit, cui divisioni necesse erit ipsum adesse. Jubebis igitur & mandabis, ut cum Mercatoribus nostris, (quorum vectura etiam sarcinulas suas transportare poterit) ad nos proficiscatur: & per hunc civem Studgardianum, qui tibi has reddet, nobis Catalogum mittes æris alieni, quocunque modo nominè per Pangratium constati. Si spontè indicare noluerit, coges eum minis, vel etiam carcere, ut sigillatim recenscat: ne cum infami ac turpi nota levitatis & perfidiæ à vobis discedat: unde nobis quoque nonnulla labe aspergeretur. Simul etiam scribas quæso, quid nobis de eo

M m

vel